



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 179. Quid addendum sit circa rem duobus venditam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42561**



que manet venditoris, & si ablata fuerit, debet huic restitui; si autem sit vendita pretio tantum affecurato, *Cuj. Med. Nav. Rebell. Bonac. aliiq;* apud *Lugo* n. 16. dicunt adhuc debere præferri venditorem, quia res est loco pretii; Econtrà *Covarr. Mol. Vasq. Laym. Castrop. Lug. flls.* n. 204. & alii æquè probabiliter negant, quam sententiam discussis utrimque rationibus defendit *Petsch.* à p. 657., quia talis merx est sub dominio emptoris, non aliter atque res aliæ; neque verum est, quòd res talis maneat hypothecata seu obligata venditori, nisi expressè sit de hoc conventum, sed transit in dominium emptoris sine reali onere rem afficiente: quod *Conf.* quia si res talis ab emptore vendatur tertio, primus venditor haberet actionem in hunc tertium pro obtinendo pretio, quod primus emptor necdum persolvisset, res enim illa, utpote hypothecata, transfret cum onere, hoc autem negant adversarii, ergo signum est obligationem solvendi non esse realem, quæ mercem ipsam afficiat, sed esse tantum personalem. Neque universaliter verum est, quòd pretium sit loco rei, uti n. 966. dictum est.

*Q. 179. Quid addendum sit circa rem duobus venditam. R.* Hæc pauca: Si prior emptor solvit pretium, posterior, qui non solvit, licet rem habeat, non acquirit dominium: Nec posterior tum acquirit, quando cum primo emptore initum est pactum non vendendi alteri, tum enim apponitur clausula *Constituti*, id est, Venditor constituit se possessorem pro emptore, ideòque hic Emptor incipit possidere, & præcessit æquivalenter traditio, hinc posterior venditio est invalida. Quòd si posterior emptor, cui res etiam soluto pretio tradita



tradita est, sciverit priorem venditionem, praesumitur fraus, & prior emptor intra annum à die scientiæ habet jus evincendi rem, si tamen intra annum non repetat, secundus emptor, si non induxit venditorem, etiam si sciens emerit, in utroque foro est tutus, & solus venditor personaliter obligabitur primo emptori, ac tenebitur de damnis, ita citatis Juribus & Authoribus *Spor. à n. 86.* potestque videri etiam *Laym. l. 3. t. 4. c. 17. §. 4.*

976 Q. 180. An facto contractu venditor teneatur mercem tradere. R. Aliqui negant, & putant satisfacere solvendo interesse, quod saltem pro foro externo videtur probabile; tamen absolute dicendum est teneri tradere, quia ad hoc determinate se obligavit per venditionem, uti recte *Bartol. Covarr. Menoch. Castrop. d. 5. p. 23. flls. t. 4. d. 2. n. 409.*

977 Q. 181. Ad quem spectent fructus vel alia affixa rei venditæ. R. §. 1. Si aliud nihil conventum sit, fructus tam maturi quam immaturi actu pendentes in re determinata vendita, licet necdum tradita, spectant ad emptorem, uti leges decernunt apud *Less. l. 2. c. 21. n. 100 flls. n. 410. Spor. n. 93.* Ratio est, quia sunt veluti pars rei, quæ emptori debetur, hinc si vinea habens uvæ emptæ sit ante autumnum, traditio autem fiat, postquam uvæ à venditore collectæ sunt, detrahendum est de pretio, quanti uvæ tempore contractûs pendentes æstimabantur, *Mol. Lug. Less. supra.* Similiter pensio domûs elocatæ pro tempore post venditionem sequente spectat ad emptorem, quia habet se per modum fructûs pendentis, tunc nondum perceptibilis à venditore. Similiter vendito equo censetur venditum frænum; item venditâ domo, licet necdum persoluto pretio, ad emptorem